

fignatio, et auri absque coloribus impositio comparet; deinceps sola pingendorum spatia, paucis exceptis, relicta sunt. Libri sacri consueta Hieronymi Prologis instructi ordine solito procedunt. Adest Liber III. Esdrae apocryphus. Psalmis adscriptus est spurius ille: *Puillus eram inter fratres meos &c. Machabaeis* praefatur, ut passim, *Rabanus*. Epistolae *Paulinae* praecedunt *Actus* Apost. Testimonium triplex. I. *Job. C. 5.* ita a prima manu legitur: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in celo, pater uerbum et spiritus sanctus. Et hij tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus aqua et sanguis.*

Tabulae posticae adglutinatum est Exemplum Excommunicationis latae ab Archiepiscopo *Spalateni* in Episcopum *Tynniensem*, seu *Tinniniensem*; utriusque tamen abscissa sunt nomina. Datum est: *in Archiepiscopali Palacio Spaleti anno domini M<sup>mo</sup>. CCC<sup>mo</sup>. LXXIII. Indiotione undecima die mensis februarij prima, Pontificatus domini nostri domini Gregorij diuina prouidentia pape undecimi anno tercio presentibus — fratre Cosmo Sportia gardiano Sybenicen. et presbitero Radosio canonico Spalaten. Notarius Stephanus filius quondam bernardi de Tyzconibus de laude Canonicus Tragurien. Testes Joseph prepositus demesien. Mathias Wolfbardi et Vhricus de Tassaw Canonici Pofonien. Strigonien. dyoc. Item Notarius cum Signo Laurentius quondam Nico-Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

*lai de Clusenburg Clericus Transsiluan. dyoc. Ex Illyrici Sacri Dan. Farlati T. III. p. 325.* video *Hugolinum de Branca* seu *Mala Branca* praedicto anno *Spalatinas* infulas gessisse; e T. vero IV. p. 292. *Tinniniensem* Episcopum fuisse *Paullum*. Neutro tamen loco quidquam de nostro negotio *Albertum* quendam a dicto Episcopo et ejus adflectis exagitatum fuisse injuriis, e Decreto mutilato colligi potest.

## XI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2227 XIV. Folior. 430. f. per duas columnas minutius exaratus, coloribus distinctus, et prius Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*, ad quam unde delatus fit, inferius dicam, continet S. *Biblia* integra e vulgata Interpretatione, ordine solenni, Prologis *Hieronymianis* et notis Argumentis instructa. *Pentateucho* Notulas et variam ex Hebraeo, LXX. *Symmacho* et *Theodotione* Lectionem, partim a prima manu, adspersam habent. *Paralipomenon* Libro II. praefatur *Hieronymus ad Domnionem et Rogatianum. Quomodo grecorum historias &c.* Adest Liber III. *Esdrae* inscriptus *Secundus*, quoniam praecedens *Nehemiae* tributus est. *Machabaei* Praefationes *Rabani* ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Archidiaconum habent. Epistolam *Pauli ad Coloss.* absque Argumento sequitur epistola *laodicencium*. Testimonium triplex I. *Job. c. 5.* ita extat: *Quia tres sunt*

sunt qui testimonium dant in celo, Pater verbum et spiritus sanctus, et hij tres unum sunt, Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus aqua et sanguis. Ad calcem accedit vulgatus ille Nomenclator hebraeograecus, et p. ult. legitur: *Iste liber est Conuentus Noueciuitatis ordinis fratrum praedicatorum, qui testatus est per venerabilem dominum pie recordationis dominum leonardum quondam Altaristam altaris Sancti Spiritus in ecclesia parochiali apud nos sepultus testatus est unum calicem optimum cum cruce et pacem argenteis, cuius anima deo viuat.* Idem brevius in Codicis fronte. Legatum igitur istud foundationem Episcopatus a. 1470. factam praecessit; Praedicatorum vero Conuentus jam a. 1443. inde, ubi nunc Abbatia Cisterciensis est, in abolitum Virginum ejusdem ordinis Coenobium traductus tandem *Melch. Cleselio* Episcopo penitus sublatus est, Bonis illius Episcopatus adtributis, quae, ut videtur, etiam Libri secuti sunt.

## XII.

- H. I Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 363. f. per duas columnas caractere minuto, denso, sed nitido scriptus, minio distinctus et deauratis picturatisque Librorum initiis complectitur S. *Biblia* vulgatae Editionis cum Prologis *Hieronimianis* et notis Summariis ita, ut inchoentur ab *epistola sancti ieronimi* (scriptum ieronimi) *presbiteri ad paulinum de*

omnibus diuine hystorie libris, et sic deinceps; deest tamen Prologus in *Josue*, idque in margine notatur. Libri V. T. ordine suo decurrunt. Capita in margine indicata sunt. Libro II. *Paralip.* adtexta est fol. 116. p. 2. *Oratio Regis manasses.* Liber II. *Esdrae* fol. 119. p. 2. inscribitur *Nemias*, cui succedit *Esdrae* III. inscriptus *Secundus*. Post *Job* fol. 143. repetitur ex *Hier.* Epistola ad *Paulin.* illa Particula: *Job* quoque exemplar patientie &c. cum monito: *Iste prologus deberet poni in principio Job.* *Psalmi* praenotantur: *liber hymnorum uel soliloquiorum prophete dauid de christo*, habentque titulos miniatos, sed nullos numeros. Libri N. T. auspicantur a fol. 261. *Evangelistas* excipiunt *Actus Apost.* Succeedunt *Canonicae*, et post has primum *Paulinae* cum *Apocalypsi.* Finem facit prolixus ille Nomenclator hebr. et graecus. Quae in marginibus hujus Exempli notantur, triplicis generis sunt: Quaedam a prima manu subplent omissa in Textu; ita I. *Job.* c. 5. Textus habet: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra. Spiritus, aqua et sanguis;* monetur vero post dant inferendum: *in celo pater uerbum et spiritus sanctus et hij tres unum sunt, et tres sunt qui testimonium dant.* Verba praeterea in textu sequentia: *Et tres unum sunt*, punctulis subnotantur. Alia explanatoria sunt tardius adjecta, et haec quidem ad *Matthaeum* frequentissima. Alia demum *παρεγχα;* ita fol. 304. monetur: